

*Qui venit ad me non esuriet,
et qui credit in me non sitiet.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

6, 24-35

In illo témpore:

- ²⁴ Cum vidisset turba
quia Iesus non esset ibi neque discípuli eius,
ascendérunt ipsi navículas
et venérunt Caphárnaum quæréntes Iesum.
- ²⁵ Et cum inveníssent eum trans mare,
dixerunt ei:
«Rabbi, quando huc venísti?».
- ²⁶ Respóndit eis Iesus et dixit:
«Amen, amen dico vobis:
Quæritis me non quia vidístis signa,
sed quia manducástis ex pánibus et saturáti estis.
- ²⁷ Operámini non cibum, qui perit,
sed cibum, qui pérmanet in vitam ætérnam,
quem Fílius hóminis vobis dabit;
hunc enim Pater signávit Deus!».
- ²⁸ Dixerunt ergo ad eum:
«Quid faciémus, ut operémur ópera Dei?».
- ²⁹ Respóndit Iesus et dixit eis:
«Hoc est opus Dei,
ut credátis in eum, quem misit ille».
- ³⁰ Dixerunt ergo ei:
«Quod ergo tu facis signum,
ut videámus et credámus tibi?
Quid operáris?»
- ³¹ Patres nostri manna manducavérunt in desérto,
sicut scriptum est:
“Panem de cælo dedit eis manducáre”».

- ³² Dixit ergo eis Iesus:
«Amen, amen dico vobis:
Non Móyses dedit vobis panem de cælo,
sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum:
³³ panis enim Dei est, qui descéndit de cælo
et dat vitam mundo».
- ³⁴ Dixérunt ergo ad eum:
«Dómine, semper da nobis panem hunc».
- ³⁵ Dixit eis Iesus:
«Ego sum panis vitæ.
Qui venit ad me, non esúriet;
et, qui credit in me,
non sítiet umquam».

Verbum Dómini.